

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

---

---



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS VINSON PROCTOR,

AMERICANUS,

AUSTRALIS CAROLINÆ CIVIS.

---

---

“ *Nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,  
“ Nil rhombus, nil dama sapit.”*———

JUV.

---

---

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

=====  
M DCCCIII.



VIRIS OPTIMIS,  
JACOBO MOULTRIE, M. D.

ET

HENRICO OSBORNE

PRÆCEPTORI ;

CAROLOPOLITANIS

CAROLINÆ MERIDIONALIS

AMERICANIS CIVIBUS ;

HANC DISPUTATIONEM,

AMICITIA ET OBSERVANTIA

MOTUS,

SACRAM

VULT

GEORGIUS VINSON PROCTOR.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

---

PROOEMIUM.

§ I. **R**ES ipsa hortari videtur, quoniam, de alimentum concoquendi difficultate, disserere nobis in animo est, paucis priùs explanare, quantus ventriculo consensus sit cum cæteris corporis partibus, quàm initium cætera exponendi faciamus.

II. Stomacho cum cætero corpore mirum per nervos consortium esse, medici, nostrâ æ-

A

tate,

tate, uno ore consentiunt. Simul enim ut in febrem quisquam incidit, malè se habet stomachus; atque non solùm cibos, quos appetere validus solet, fastidit, sed etiam nauseat, et, siquem acceperit, brevi rejicit.

III. Contrà, ventriculo ægro, mortales non capite modò, verùm aliis quoque corporis partibus ferè omnibus, plùs minùs ægrotant. Neque, enimvero, hoc mirum est: namque, quandocunquè languet stomachus, ad sua munera invalidus, cæterum corpus, quippe cui ex cibi atque potionis receptaculo non suppeditetur, quo dispendium compenset, illius languorem participat; atque aliis simul malis hinc ortis usquè eò nonnunquam urgetur, ut, nisi prospera opportunè redeat valetudo, vita ipsa, firmis optanda, invalidis oneri miseræque fiat.

IV. Neque cæterum corpus solùm stomachi malorum particeps est, sed haud rarò animus quoque. Aliquandò enim illius imbecillitate hic, mirum in modum, demittitur. Hoc ma-  
lum,



lum, quo nihil sanè tristicus, inanibusve fœcundius timoribus, *ANIMUM DEMISSUM* nuncupant medici ; et, quoties mortales temperamento sanguineos afficit, referunt ad stomachi invaletudinem.

v. Quem verò ad modum consocientur corpus et animus, et quo inter se modo sic consentiant, ut se mutuò afficiant, acutissimi quidem philosophi, pariter ac medici, hætenus prorsùs nesciêrunt ; neque profectò est, cur speremus, unquàm fore, ut cognoscant et intelligant. Hujus inter corpus et animum consensionis inscientia multùm obstat, ne explicare possimus, quibus malis morbi cognoscantur, quibusque causis oriantur hæc mala. “ Our great ignorance,” inquit *HEBERDENUS*, “ of the connexions and sympathies of body “ and mind, and also of the animal powers, “ which are exerted in a manner not to be “ explained by the common laws of inanimate matter, makes a great difficulty in the “ history of all diseases\*.”

DE-

---

\* Vid. *HEBERDEN. Comment.*



## DEFINITIO ET SIGNA.

VI. *DEFINITIO*.—Multi quidem scriptores *dyspepsiam* definiêrunt, at luculentiùs sanè nullus, quàm CULLENUS. Quum ita sit, ipsius verba, hìc loci, citabimus. “ Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumquè cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo\*.”

VII. *SIGNA*.—Ineunte morbo, in *epigastrio*, circa præcordia, plenitudo plerumquè et gravitas,

---

\* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. Gen. XLV.

vitas, præsertim post pastum, sentiuntur; quæ brevi mala excipiunt languor, anxietas molestissima, stomachi inflatio et defectus. Quinetiam, æger vexatur spiritu huc illuc se volvente, et frequente molestissimoque acidorum ructu.

VIII. Stomachus, initio, leviter tantummodo dolet, sed, morbo incremente, gravius et tantum non continenter. Summa cutis, halitu suppresso, arescit. Facies sanguine interdum suffunditur\*. Spiritus difficilis est. Mucus subalbidus, sufflavus aut subniger, linguam oblitit.

IX. Matutinis plerumque horis, stomacho imbecillus, linguâ et faucibus arentibus, siti urgetur. Ingravescente stomachi imbecillitate, ferè omnem æqualiter cibum fastidit, et, si quem assumpsit, sæpè brevi post nau-  
scâ

---

\* Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic.* vol. VIII.  
§ XL.

seâ afficitur, neque rarò inconfectum rejicit. Verùm aliquandò tamen, præ acribus quibuspiam stomachum stimulantibus, ciborum solito appetentior est.

x. Stomachus nonnunquàm, præter solitum, ardet, atque, sicut is ruminantium pecudum, semicrudos cibos eruçtat; eosque aut acidos, aut rancidos, aut putrescentes, aut amaros; imò interdum adeò acres, ut fauces exulcerent.

xi. Verùm aliquandò tamen ventriculus, præ acribus quibuspiam eum stimulantibus, ciborum appetentior est, quàm ex consuetudine. Magnam interdum pituitæ tenacis et glutinosæ copiam suprâ transmittit.

xii. Æger placido et recreante somno rarissimè fruitur; sed, præ cruditatibus forsitan stomachum offendentibus, subitò subinde expergiscitur, terrificis quiete visis auditisque perturbatus.

xiii. Alvus

xiii. Alvus plerumquè tarda est, et astricta. At interdum tamen, præ nimia bile stimulante, aut cruditatibus irritantibus, præter modum citatur, atque viridia seu porracea excernit.

xiv. Dolent tempora, dolet sinciput; atque miser aliquandò vertigine afficitur, imò etiam, ubi inanis stomachus est, animæ defectu. Caligant interdum oculi sic, ut oblatas res nequeant discernere. Tinniunt nonnunquàm aures, et malè audiunt. Cor palpitat. Labat memoria.

xv. Urina rubra est, atque turbida, et copiosum sedimentum deponit. Plus solito *phosphatis calcarei* continet, itemque *gelatinæ*, ut apparet ex immixta ei aqua, in qua maceratus cortex quercicus sit.

xvi. Veterascente morbo, totum corpus macrescit. Æger moveri piget, atque vel levissimâ exercitatione fatigatur. Livescunt labia.

bia. Oculi languent et hebescent. Vultus lugubris fit : facies pallida et cadaverosa.

xvii. Fœminæ, quarum ventriculi, præ imbecillitate, cibos conficere nequeunt, globo nonnunquàm intestinorum, sicut *hystericæ*, afficiuntur ; neque enimvero rarò, velut eæ, quarum menses aut morantur aut supprimuntur, quâpiam stomachi pravitate res non esculentas, præsertim omnigena absorbentia, appetunt.

xviii. Stomachis invalidi seriùs plerumquè ociùsve animis admodùm irritabiles fiunt, et levissimæ eos causæ coquunt et vexant. Animis corporis inertia et segnitiei participibus, neque cogitare possunt, neque judicare, neque curam intendere in ullum negotium, bonamve artem. Haud pauci, invaletudinis præsagi, labore se omni et exercitatione abstinent ; atque domi se continent, timentes aurâ æthereâ vesci, ne hinc detrimentum haud leve capiant. Hujusmodi miseri vano mali futuri, forsitan

sitan ne futuri quidem timore, vera mala graviora, simulque difficiliora ad sanandum, reddunt.

xix. Tanta nonnunquàm stomachi infirmitas est, ut crudi dejiciantur assumpti cibi. Hoc verò rarò accidit, et fortassè nunquàm, nisi ubi morbus diù inveteraverit.

xx. Tot tantisque malis diù vexati, miseri cibos demùm concoquendi ferè prorsùs impotentes fiunt; atque iis vita ipsa, cæteraque quæ sani maximè expetenda putant, oneri et tædio sunt. Nusquàm delectati, et miseram vitam protrahentes, malorum requiete frui exoptant; neque rarò deos precibus exorant, ut iis auxilio veniant, aut, repetitâ et receptâ animâ, quam ipsi dederunt, intolerandis eos molestiis liberent.

xxi. At verò rarissimè stomachi imbecillitas miseris mortem affert. Priùs enim, quàm usquè eò processit, plerumquè aut phthisis  
B supervenit,

supervenit, aut hydrops. Debilitati, et macie confecti, ægri sudoribus nocturnis et diarrhœâ tanquàm colliquescunt, usquè quò toti ossa et pellis sint, et osseam larvam repræsentent\*.

XXII. Tam mares, quàm fœminæ, quâcunque ætate, et quocunque cœlo, morbo, quem persequimur, opportuni sunt; at ii tamen maximè, qui, luxuriæ dediti, ignaviæ se tradunt et inertia. Quippe iis rarissimè obrepit, qui, in omnibus vitæ partibus temperati, quotidianis nec immodicis corpora firmant exercitationibus.

XXIII. Infantes stomacho adeò nonnunquàm imbecilles sunt, ut nequeant alimentum concoquere. Paryuli hujusmodi miserabiles stomachi et intestinorum acore torquentur; alvo alba et porracea simul aliqua, in mistura quâdam, discreta tamen, excernunt; et nutrimenti defectu intabescunt.

XXIV. Stomachus,

---

\* Vid. WITHERS. *On Chronic Diseases*,



XXIV. Stomachus, ad cibos concoquendos invalidus, non modò ipse morbus est, neque is levis, sed alios quoque morbos haud rarò inducit, demissum nempè animum, tabem pulmonum, tabem infantum, podagram, et stomacacem\*.

C A U-

---

\* Vid. BURSER. *De læsa alimenti concoctione.*



## CAUSÆ REMOTÆ.

XXV. REMOTÆ causæ morbi, de quo scribimus, numero quidem plurimæ sunt, et naturâ dissimiles. Quæ sint, quàm paucissimis dicendum est.

XXVI. *ABDITA*—causa, quâ nonnulli mortaliū, præ cæteris, fiunt alimenti concoquendū impotentes, haudùm certò à medicis cognoscitur. Putatur quidem à non nullis sanguineum corporis esse temperamentum, et gentilitia quædam proprietas; sed, rectè an secùs, neutiquàm satìs constat.

XXVII. *EVIDENTIUM*—causarum, quæ stomachum ad cibos concoquendos invalidum reddunt, aliæ ipsum malè afficiunt; aliæ, per cæterum

cæterum corpus. Res postulare videtur, paucis de utroque genere disserere.

xxviii. *Genus primum* complectitur multa, quæ eâ naturâ sunt, ut, dummodò iis perseverantè utamur, receptaculum cibi et potionis magnoperè demùm stupefaciant. Hujusmodi sunt potus meraciores, sive ex fermentatis granorum aut fructuum succis parati; sive ex granis, aut sacchari vinive fæcibus distillati: amara: aromatica: opium; *tabacum*; *thea*; *caffæa*: et, siqua, similia.

xxix. Ad hoc item genus pertinent gulosæ vorationes; quibus stomachus, supra modum quem postulent cupiditas cibi et valetudo, distenditur: nimia salivæ exspuitio: frequens vomitus, multusque gulæ incitamentorum usus; quibus sanè nihil ad stomachum infirmandum plùs valet.

xxx. *Secundo genere* comprehenduntur, ebrietas: præmatura et effrænata libido: vigilia

gilia pariter, pariter veterius : socordia ; desidia : nimium studium, præsertim lucubratio : corpus, at maximè pedes, frigori simulque humori diù expositum : mœror, mœstia, et quæcunque alia animum contristant et demittunt : pertenuis denique diæta, quæ corpus non satis nutrit. Hæc enimvero omnia, ut experientiâ plùs satis constat, totum corpus debilitando, stomachum adeò infirmant, ut neque alimentum, quantum requirat valetudo, appetat, neque assumptum perficiat.

xxxI. Quin potus distillati carnosas ventriculi fibras infirmant, nemo dubitat. Post enim ebrietatem, quàm languidum totum corpus est, præsertim stomachus ! Neque, enimvero, hoc organum priùs concoquendi potens fit, quàm incitamenta quæpiam accepit. Indulgendo sibi pedetentim nascitur potandi cacoëthes ; quo nihil sanè turpius, nihil homine indignius, nihil sanatu difficilius, nihil divinam auræ particulam turpiùs polluit, certiusve demùm exstinguit.

xxxII. Com-

XXXII. Compertus BEDDOËSIUS est periculo, quod in duos catulos caninos fecit, potus distillatos, contrà atque nonnulli contenderrunt, obstare, quò minùs cibi concoquantur. Idem quoque vinum facere, experimento, quod passi sunt duo pueri, quindecim fermè annos nati, comprobavit SANFORDIUS.

XXXIII. Quinetiam, ut, ANTIGALLICANO BELLO ex utraque RHENI parte gliscente, comperit PILGERUS, liquor ex vini fæcibus distillatus, in equorum ventriculos tantulâ copiâ immissus, quantula duntaxat eorum animos exhilaret, aut tantâ, quanta ipsos ebrios et frænis inobsequentes faciat, aut soporet, non solùm internam ventriculorum faciem adducit; sed et facit, ut vasa cùm intestinorum tum cerebri, hìc illic, sanguine, supra modum, turgescant. Vinum quidem, ut idem compertus est, tantulâ copiâ, quantula animosos tantummodò equos reddat, hæc mala non efficit. Sed tantâ copiâ, quanta ebrios faciat, eadem

eadem movet mala, quæ distillatus ex vini fæcibus liquor.

xxxiv. Amara itidem, aromatica, et opium, itemque *tabacum*, *thea* et *caffæa*, eorum, qui iis abutuntur, ventriculos haud longo tempore plurimùm infirmant, ut cùm medicis, tum hominum vulgo, experientiâ plus satîs innouit.

xxxv. De cæteris causis, quæ, ut modò diximus, mortales victum coquendi impotentes reddunt, fusiùs disserere non opus est; cùm præsertim nemo dubitet, quin stomachum aut ipsum plurimùm infirment, aut hunc, ut partem totius corporis. Quoniam ita est, nullâ morâ, ad aliam rei nostræ partem explicandam festinabimus.

CAUSA



## CAUSA PROXIMA.

xxxvi. Priusquàm exponimus, quid sit causa, quæ contineat morbum, quem persequimur, haud alienum erit paucissimis dicere, quibus viribus cibi mitificentur.

xxxvii. Cognitis SPALLANZANII, MONRONIS, STEVENSII, et HUNTERI experimentis, satis constat, humorem quendam à stomacho suggeri, qui à medicis *succus gastricus* nominatur; quique, adjuvantibus motu hujus receptaculi et calore, cibos emollit et solvit. Novus hinc humor effectus, in summo intestino cum bile et *pancreatis* succo commiscetur; quorum omnium mistu et unitate formatur lacteus humor; qui alvo à vasis bibulis absorptus, deinceps per ductas vias in venam  
C *subclavianam*

*subclavianam* sinistram confusus, in pulmonibus in sanguinem convertitur ; sicque idoneus fit, qui, per magnam arteriam quoquoersum distributus, totum corpus alat et sustineat. His dictis, redit huc, undè deflexit oratio.

XXXVIII. Quippe cùm eorum, qui ad cibos concoquendos invalidi sunt, summa nonnunquàm cutis bile suffundatur, et alvus biliosa excernat ; nonnulli medicorum inducti sunt, ut, nimiam bilem in stomacho et summo intestino, esse proximam pravæ ciborum concoctionis causam, existimarent.

XXXIX. Putat CULLENUS, proximam malæ alimentorum concoctionis causam esse carnosarum ipsius stomachi fibrarum imbecillitatem. Verùm simul tamen concedit, malum humoris, quem suppeditat stomachus, habitum, copiamve nec idoneam, posse, ex parte, ad malam concoctionem conducere.

XL. Nobis videtur, imbecillitatem muscularum fibrarum neutiquàm causam esse, quæ



quæ stomachum cibos coquendi impotentem reddit, nisi quatenus confert ad malè mutantum habitum et copiam humoris, cujus est victum emollire et solvere. Eòque magis inclinant animi, ut ita opinemur, quòd, uti compertus est HUNTERUS, hic humor, modò sanus sit, potest, etiam post mortem, cibos solvere.

PRO-



## PROGNOSIS.

XLII. LABORANTES ex morbo, quem persequimur, rarò in discrimine versari putantur. Priùs tamen quàm quicquam in futurum præ sagit medicus, aptum erit percunctari, quâ ætate æger sit ; quibus primùm causis inciderit in stomachi in valetudinem ; quam artem exerceat ; prosperisne domi rebus gaudeat, an angustis prematur ; etiamque intueri, quo sit corporis temperamento.

XLII. Si stomacho invalidus juvenis est, necdùm in valetudo inveteravit ; et si causæ, undè hæc orta est, possunt summoveri curaturâ aut medicinâ ; non est, quam ob rem de futura sanitate desperetur.

XLIII. Contrâ,

XLIII. Contrà, periculum est, neque id quidem leve, ubi æger vergit annis; ubi invertevit morbus; ubi malorum gravitate vires dissipavit, et medicinâ adeò non levatur, ut quotidie ingravescat. Periculosissimus quoque morbus est, et curationem vix admittit, qui ortus est ex pylori durtia.

XLIV. Morbus vel medicinâ curatus, nisi, qui revaluerit, is in omnibus sibi temperet, levissimis causis revertitur, et gravioribus, quàm antea, malis eum afficit. Quo sæpiùs redivit, eo sanatu difficilior est. Fit demum insanabilis, atque, medicinâ pariter ac curaturâ impotentibus, lentâ tabe miserum consumit.

SIG-



## SIGNORUM RATIO.

XLV. EXPOSITIS notis, quæ vel spem, vel periculum, ostendant, statuimus, hîc loci, signa carptim, ut quidque explicatu dignum videtur, illustrare.

XLVI. *Cibi fastidium*, — ab aliis aliter explanatur; sed nobis verisimillimum videtur, effici malo concoquentis humoris habitu, qui ipse stomachi imbecillitate oritur.

XLVII. *Nausea* — nascitur ex circularibus stomachi fibris carnosis se deinceps contractentibus, ejusque motum invertentibus.

XLVIII. *Vomitus*.—Simul ut inversus motus sursùm ad *cardiam* propagatus est, fibræ circulares  
lares

lares cùm stomachi tum gulæ sese subitò relaxant; deinceps dicto citiùs non solùm carnosæ fibræ stomachi, quæ in longitudinem distribuuntur, sed etiam omnes muscoli, quorum ope hauritur et emittitur spiritus, sese unà simulque enixissimè contrahunt: quo fit, ut ventriculus, inter defixum septum transversum, protrusaque abdominis viscera, usquè eò comprimatur, ut, quotquot contineat, ea sursùm, quà data porta, per relaxatam *cardiam* et gulam, magnâ vi ore erumpant.

XLIX. *Inflatio*—efficitur spiritu, quem aut sumpta alimenta parùm concocta, et ex parte cruda, in stomacho emittunt, aut, uti censet HUNTERUS, ipse stomachus secernit. Ubi ventriculus ad benè concoquendum validus est, aër, quem in eo alimenta edunt, brevi ab ipsis concoctis resorbetur, neque diutiùs eum distendit; contrà atque accidit, ubi, præ infirmitate, seu resolutione, nequit cibos et potus mitificare et perficere. Sed, nunquandò cibi et potionis receptaculum, præsertim resolutum,

solutum, spiritum secernat, ut opinatur HUNTERUS, certò nec affirmare nec negare possumus. Utcunque verò hoc sit, jampridem medicis innotuit, pauperculos stomachum resolutos, ideoque ad cibaria benè concoquenda invalidos, ut mala veris graviora præ se ferendo moveant adstantium misericordiam, ve muto aspectu stipem exorent, spiritum ipso eructandi molimine devorare didicisse.

I. *Ructus et ruminatio* — efficiuntur levis vobis vomendi nisibus, quos, stomachum distendendo irritandove, spiritus movet aut cruditates.

LI. *Cardialgia*,—seu sensus molestissimus urens, quem, ad superius ventriculi osculum, cibi coquendi impotentes identidem percipiunt, oritur ex 'contactu acrium naturarum, quas, à cruditatibus factas, illuc carnosæ fibræ frequentibus singultibus allidunt.

LII. *Gastrodyniam*,

LII. *Gastrodyniam*,—seu stomachi dolorem acerbum, movent musculosæ fibræ suis contractionibus in diversas, sæpè contrarias partes, divellentes ; et, quippe cùm aliæ aliis renitantur, sensum excitantes, ei, ut misero videtur, persimilem, quem quicquam stomachum distorquens, distendens, dilacerans, pungens, fodiens, cieret.

LIII. *Alvi tarditas et duritia*—oriuntur ex debilitate et torpore musculosarum fibrarum, quæ, in longitudinem intestinorum, pariter atque in circuitum, sese distribuunt.

D

CURA-



## CURATIO.

LIV. CÆTERIS rei propositæ partibus, pro virili, absolutis, tantum restat, ut quàm brevissimè exponamus, quâ curaturæ et medicinæ ratione stomachi imbecillitas, seu resolutio, persanetur.

LV. Quò percuretur morbus, quem persequimur, necessarium erit, ea, quæ inducere solent, quàm maximè vitare ; simulque graviora levare mala, quæ, quamdiù urgent nec mitigata, curationi obstant ; deinde stomachi vires reficere. De his curationis partibus deinceps, quàm possimus brevissimè dicere, nobis in animo est.

LVI. CON-



LVI. *CONSILIUM PRIMUM.* — Nisi stomacho imbecilles perseverantissimè abstineant ab omnibus, quæ cibi et potûs receptaculum infirmant, quid ad levandam concoquendi difficultatem, quâ tabescunt, medicina valebit? Causis enim agentibus alitur et increscit eorum stomachi invaletudo, et neque mitigari, neque sanari potest. Sed equidem haud sumus ignari, quàm difficile sit, corruptos ad inertiam, et voluptates corporis pessumdatorum mores corrigere: siquidem ventri et peni deditis intolerabilis labor et opus est, indicare bellum pravis cupidinibus; vel socordiâ et desidiâ torpescentibus, quæ corpus animumque virilem effœminant, ullo se negotio intendere, aut præclari facinoris, artisve bonæ famam quærere.

LVII. *DIÆTA.* — Quum igitur opus sit, ut, qui, præ stomachi infirmitate, nequeunt alimenta concoquere, ii gulæ temperent; in primis exponendum est, quibus esculentis uti debeant, quibus potulentis. Nisi enim, ut benè  
monet

monet HOFFMANNUS, hæc utraque stomacho apta sint, prorsùs nihil poterit medicina.

LVIII. *Esculenta.*—Carnes, quippe cùm neque acescant, neque fermentescant, stomachis eorum, qui cibos malè et difficulter concoquunt, maximè idoneæ sunt. His itaque solis, aut cum iis, quæ suggerunt terræ stirpibus infixæ, parcè commixtis, vivere debent stomachis resoluti et infirmi.

LIX. Ex carnibus autem bovilla cæteris anteferenda est. Hæc stomacho aptissima est, elixæ aut assa ; at, uti monet WITHERINGIUS, pòst aliquantò, quàm cæsum animal sit, quò tenerescat paululùm, fiatque concoctu facilior. Hujusmodi cibus, modò stomachus, ut interdum, adèdò imbecillus sit, ut solitam copiam revomat, duntaxat exiguâ copiâ assumendus est, sextâ quartâve horæ parte interpositâ : simulque, ne protinùs rejiciatur, à potulentis abstinendum ; utpote quæ, præsertim

sertim si affatim hauriantur, vomitum plerumque moveant\*.

LX. Quoties assumuntur cibi, vel certè ter quaterve in dies, præcordia extrinsecus strigili, ex transverso, à *cardia* ad pylorum motâ, acriter perfricanda sunt, usquequò percaluerint: cùm præsertim, per hanc fricationem, æger nonnunquam consequatur, ut ex stomacho expellatur spiritus. Quòd si primâ frictione præcordia non percaluerint, his, ante sequentes, superponantur contrita sinapis semina, aut piper.

LXI. Carnes, uti compertus JOANNES HUNTERUS est, quibuscum terrâ genita assumuntur, ægriùs, quàm meræ, in stomacho putrescunt. Hoc utcunque verum sit in iis mortalibus, quibus validi stomachi sunt, iis tamen, qui, ob horum invaletudinem, ad cibos

---

\* Aud. HOP. *Prælect. Clin.* in *ACAD. EDIN.* ann. M,DCCC,II.

bos coquendos parùm valent, carnes, ut in valetudinario EDINENSI sæpè observavimus, optimè conveniunt.

LXII. Oportet stomachis infirmos, non solum ab oleosis et unguinosi, ex toto, abstinere, sed etiam à lacte et lactentibus, quippe ad quæ concoquenda parùm valeant. HELMIUS, medicus VINDOBONENSIS, periculis factis in fœminæ stomachum, qui perforatus erat, comperit in stomacho aquâ non distento lac perbrevis coire; asininum autem ægriùs aliquantò, quàm vaccinum: carnes semper omnium ciborum facillimè et citissimè concoqui; deinde, ova et caseum: omnium verò tardissimè cibos, quos præbent ea, quæ gignuntur è terra\*.

LXIII, Fructus, quippe stomachis imbecillis plerumquè alieni, eorum mensis, ex toto, circumcidendi sunt. Neque, enimvero, ad  
concoquendum

---

\* Vid. BEDDOËS. *Essays*, n. viii.

concoquendum invalidi debent multigenos simul cibos assumere ; quandoquidem, ut benè monet Tissotius, stomachum gravat commixtorum colluvies. Oportet hujusmodi imbecillos, duobus haud amplius simplicibus cibis, tribusve gulæ satisfacere.

LXIV. *Potulenta*.—Qui, præ stomachi resolutione, cibos dilliculter et malè concoquunt, ii in potulentis debent, ut suprà diximus, esse temperatissimi, imò et parcissimi. Eorum potui longè aptissima mera aqua est. Interdum quidem iis permittatur, ut cerevisiam, aut vinum, aut distillatum humorem aquâ dilutum, parcè assumant ; at rarissimè tamen, ne in pravam potandi consuetudinem adducantur, et animum ipsum, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortaliū est, sinant incultu atque socordiâ torpescere. Jentantibus potus, ex *cacaone* confectus, meliùs convenit, quàm confectus ex *choara* aut *thea*.

LXV. CONSI-

LXV. CONSILIUM SECUNDUM.—Expositâ vicâtûs ratione, nunc considerandum est, quæ potissimùm mala urgeant, et quibus efficacissimè medicamentis levari possint.

LXVI. Mala, quæ stomacho languidos, ideoque ad cibum concoquendum invalidos, maxime vexant, sunt cruditates, acor, et astricta alvus. Quibus igitur medicamentis hæc mitigentur, quàm brevissimè exponendum est.

LXVII. *CRUDITATIBUS*,—quas indicant incofectarum cibi reliquiarum ructus et ruminatione, vomitione atque purgatione quamprimum subveniendum est. Donec enim aliena omnia stomacho suprâ infrâve expulsa fuerint, ad hujus valetudinem confirmandam parùm, si omninò, valebunt medicamenta roborantia.

LXVIII. Medicamentorum autem, quæ vomitum movent, stomachis eorum, qui cibos coquendi difficultate laborant, tutissima sunt *ipecacuana*, et præparata quædam ex stibio.

Illa

Illa tamen, utpote quæ ventriculum minùs infirmet, his plerumquè anteferenda est. Nisi alvum quoque vomitoria leniter moverint, cathartica, qualia, dum stomachum haud debilitant, alvum citent, aliquantò pòst assumi, quàm conquieverit vomitus, perutile erit.

LXIX. Aliquandò vomitus adeò vehemens et pertinax est, ut quamprimùm sistere opus sit. Hunc in finem, vomenti succurrendum est aquà decoctà ex *colombo*, aut ejusdem pulvere\*. Ubi, ut interdum, parùm hæc valent, experienda sunt, opium, *æther sulphuricus*, aqua menthæ piperitidis, lotiones anodynæ in alvum ex inferiore parte infusæ, *moschus*, *ammoniaca*: quæ sanè tam ad vomitum, quàm ad acerbos stomachi dolores sedandos, plurimùm pollent.

E

LXX. *AcOR*,

---

\* Aud. HOP. *Prælect. Clin. in Acad. EDIN.* ann.

LXX. *ACOR*,—quem indicant ructus acidorum, itemque *cardialgia* et *gastrodynia*, efficacissimè mitigatur iis medicamentis, quæ, ex naturæ similitudine, *ANTACIDA* appellantur, quorumque potissima sunt *alcalina* et *absorbentia*.

LXXI. *Alcalini*—verò generis cùm *alcalia*, tum *alcalium carbonates*, si modò in eorum usu diù perseveretur, non solùm stomachum multùm debilitant, sed etiam, subducto paulatim acido, malum universi corporis habitum inducunt. Cùm ita sit, caveant stomacho invalidi, ne ex tam insidiosis auxiliaribus frequens subsidium petant.

LXXII. *Absorbentia*—igitur, ea præsertim quæ alvum laxant, stomachi acorem tutissimè mitigant et corrigunt. Hujusmodi sunt *magnesia*, et *magnesiæ carbonas*. Illa verò huic propterea anteponenda est, quòd præpollet, et, acido carbonico privata, spiritu stomachum minus distendit. *Magnesiæ* pauxillum pulveris  
radicis



radicis Ponticæ adjici haud alienum erit, ut, dum acor mitigatur, aliquantùm confirmentur stomachus et intestina. Absorbentium autem cætera, nempè creta præparata, chelæ oculique cancerorum, et siqua similia, quandoquidem alvum astringunt, stomacho invalidis nequaquàm idonea sunt.

LXXIII. *ALVUS ASTRICTA*—omnium ferè mortalium, qui, propter stomachi invaletudinem, cibos benè concoquere nequeunt, commune malum est. His igitur, uti utilius, ita commodius nihil est, quàm, eâdem quotidie horâ, desiderare; atque, contento spiritu, enixissimè velle et moliri fæces dejicere. Eodem in dies tempore, animi jussu excernere conando, alvus haud rarè, statutis quotidie temporibus, uti debet, cacaturire assuescit; quo sanè nihil ad benè concoquendum plus conducit, aut magis optandum est.

LXXIV. Quòd si tarda alvus in salutarem quotidie egerendi consuetudinem non sic tractatur,

hatur, iis, quoties opus sit, movenda est medicamentis, quorum frequens usus non debilitat. Hujusmodi sunt aloë, radix Pontica, *magnesia*. Si, ut interdum, aloë hæmorrhoidem moveat, ejus vice assumendi sunt flores sulphuris, aut *jalapa*, aut sena. Haud verò inficiandum est, multò satius esse, per diætam, si possit, consequi, ut alvus, singulis diebus, dejiciat, quàm per medicamenta; quippe cùm hæc haud rarò faciant, ut paucos postea dies alvus solito astrictior sit.

LXXV. CONSILIUM TERTIUM.— Dictis medicamentis, quibus mitigentur graviora mala, quæ stomachum resolutos, et cibos benè concoquendi impotentes, urgent; proximum est, ut paucis explanemus, quibus stomachi valetudo confirmetur. Remedia et medicamenta, quibus hoc consilium exsequamur, aut ipsum stomachum afficiunt, aut stomachum per cæterum corpus.

LXXVI. *PRI-*

LXXVI. *PRIMUM GENUS.*—Medicamenta, quæ vim in ipsum ventriculum exercent, à medicis dividuntur in stimulantia et roborantia. Quapropter, de utrisque, ordine breviter dicendum est.

LXXVII. *Stimulantia*—medicamenta semper plurimum mitigant graviora mala, quos mortalibus affert stomachi resolutio. Sed, cum fugax tantummodò levamen præbeant, et igitur opus sit, ut frequentius in dies et uberius assumantur; periculum est, ne ventriculum adhuc magis infirment, et pravam ea appetendi consuetudinem adducant. Eorum præcipua sunt salina pauca, velut *acidum sulphuricum, acidum muriaticum, murias sodæ*; et aromatica quædam, videlicet piper, sinapis, raphanus rusticanus, aqua cinnamomina, aqua menthæ piperitidis, hisque, si qua, consimilia.

LXXVIII. *Roborantium*—nonnulla parantur  
ex

ex iis, quæ à terra stirpibus continentur ; alia, ex metallis.

LXXIX. Primi generis sunt cortex *cinchonæ*, *quassia*, *colombo*, *gentiana*, flores *chamæmeli*, cortex *malorum aureorum*. Horum verò medicamentorum longè optimum et potentissimum est *cinchonæ* cortex.

LXXX. Sunt, qui, sicut GREGORIUS, opinentur, hunc corticem aliter, atque roborando, agere. Quemadmodùm verò agat, controversiam inire, haudquaquàm nobis consilium est ; eòque minùs, quòd parùm utile videtur, hujuscemodi certaminibus tempus terere. Quoties sit, quamobrèm judicent medici, utilem fore corticem, aut pulvis ejus adhibeatur, aut aqua decocta ex eo, aut frigida aqua, in qua maceratus sit. Assumatur pulvis vel cum aqua frigida, vel cum vino rubro Lusitano.

LXXXI. Secundum roborantium genus comprehendit præparata quædam è ferro. Hæc autem

autem sunt *oxydum ferri*, *oxydum ferri præcipitatum*\*, *muriatis ferri tinctura*, *carbonas ferri*; *sulphas ferri*. Potui communi aptum à quibusdam putatur *acidum sulphuricum*, multâ aquâ temperatum.

LXXXII. *SECUNDUM GENUS*.—Remedia, quæ cæterum corpus roborando, ventriculum confirmant, sunt exercitatio, lavatio frigida, et animi exhilaratio.

LXXXIII. *Exercitatio*.—Utî ad inducendam stomachi imbecillitatem nihil plûs conducit, quàm inertia et ignavia; ita nihil ad percurrendam plûs pollet, quàm quotidiana et modica exercitatio. Neque, enimvero, hoc mirum est. Quid enim sanguinem in partes æqualiter omnes corporis meliùs distribuit? Quid cutis halitum potentiùs constantiùsve elicit? Quid tantoperè appetitum movet? Quid validiùs efficit, ut humores, suum quæque, glandulæ  
secernant,

---

\* Aud. HOP. *Prælect. Clin.* in *ACAD. EDIN.* ann. M,DCCC,II.

secernant, et fæces quotidie dejiciat alvus? Quid, denique, continentius fovet, et in omnes corporis partes salutarius diffundit vitalem calorem?

LXXXIV. Stomacho tamen imbecillis non omnès æquè exercitationes idoneæ sunt. Iis optimè conveniunt ambulatio, equitatio, et navigatio; quippe quibus, sub aperto cælo, ubi aër purus est, uti possint. Purus enimvero aër, superquàm quòd cum exercitatione, ad totum corpus confirmandum, conspirat, ipse saluberrimum remedium est. Sanguinem enim mirabilissimè purificat, sicque idoneum reddit, qui cor et arterias salutariter stimulet; atque, dum vitalem calorem fovet sustinetque, nimium temperat.

LXXXV. *Lavatio* quoque *frigida*, — modò subsequantur frictio et exercitatio, mortalibus ad cibos concoquendos invalidis plurimum proficit. Gelidâ undâ sese perluant, aut vivo flumine dulcis aquæ, aut frigidario; aut,

aut, quod sanè melius et commodius, imbrifero frigidæ aquæ torrente, supernè multiforo alveo devoluto. Ubì domi se lavant, initio, si requirat valetudo, aquam calefaciant paululùm, et in dies de calore deducant, donec eum cœli peræquet.

LXXXVI. Simul ut satîs perfusi, vehementer perfricandi sunt, dein, cœlo sereno, exercitandi, ut vitalis sanguis, et refotus calor, in corpus æqualiter totum permanent.

LXXXVII. Lavatione frigidâ, et cæterâ curationâ, quam persecuti sumus, stomacho imbecilles, ut, in valetudinario EDINENSI, HOPEO medico, plûs semel vidimus, brevi prorsûs revalescunt; atque, pristinam stomachi valetudinem redepti, benè, ut antea sani, cibos concoquunt. Unus præcipuè pauperculus, qui stomachi infirmitate, et cibos perficiendi impotentiâ, tres jam annos extabuera, totidem hebdomadis totus revaluit.

LXXXVIII. *Animi exhilaratio.* — Denique, quoniam tristitia morbum, de quo scribimus, haud rarò comitatur et auget, animus, at ingeniosorum maximè, amico sermone, bonâ spe, lætis imaginibus, agrorum hortorumve cultu, amœnitatibusque studiorum, exhilarandus est. Optimè igitur, aptissimèque poëta :

- “ ————— For whatever moves  
 “ *The mind with calm delight, promotes the just*  
 “ *And natural movements of the harmonious frame.*”

ARMSTRONG.

F I N I S.





